

ALPHRIDO . PRINCIPI  
**VICTORIÆ**  
 MAGNÆ . BRITANNIÆ . REGINÆ . F  
 OPTIMÆ . SPEI . ADOLESCENTI  
 QUI  
 NONIS . DECEMB . ANNO . REP . SAL . MDCCCLIX  
 CORCYRAM . APPULIT  
 EXPECTATISSIMUS  
**CLERUS LATINUS**  
 ECLESIE CORCYRENSIS  
 FAUSTA . OMNIA . ADPRECATUR



Si rivus vitrea salit  
 Lympha, aut suavior herbulas  
 Leni concitat impetu  
 Auræ vita loquacis,

Aut si prata recentibus  
 Veraant roscida floribus,  
 Humor quos nutrit impiger,  
 Rident, dicimus, agri.

Si quando zephyrus pedem  
 Illidit liquidis aquis,  
 Ut vix unda loquaciter  
 Tundat littoris oras,

Rident, dicimus, æquora,  
 Aut si miscet ebur croco  
 Aurora, et roseas polo  
 Versat læta quadrigas;

Aut si lucidus Hesperus  
 Surgens occiduo die,  
 Præfert noctivagas faces,  
 Ridet, dicimus, æther.

At non seu rutilo polo,  
 Risus, seu nitido mari,  
 Seu cum roscida floribus  
 Tellus vernat odoris,

Est unquam, aut fuit uspiam  
 Lætus, seu nitidus mage,  
 Quam, cum, Floscule Principum,  
 Et Stirps inclyta Regum,

Rides, Alcinoi aureos  
 Coreyræ referens dies,  
 Et sidus rutilas novum,  
 Procul nubibus actis.

Stellata erige lumina,  
 Pandas et roseas genas,  
 Festivos populi bonus  
 ALPHRIDE, excipe plausus.

Ecquis Sceptra Britanniae  
 Non fausto augeat omine,  
 Tanta læta propagine,  
 Dulci mitia fructu ?

Robur bellipotens, ferum  
 Sinarum paveat genus,  
 Indorumque rebellium,  
 Seytarumque potentum.

Parentis memor attamen  
 Antiquæ, precor, Anglia  
 Romæ præsidio potens,  
 Tutelæ et bona siet.

V347  
 Ap. Eor. 460

